

erga ecclesias Dei confirmare et corroborare studuerimus, nobis id regnique nostri statui profuturum minime dubitamus. Quapropter noverit omnium Christi nostrique fidelium universitas | qualiter ob¹ petitionem Ricardi² Virdunensis aecclesiae presulis, locum in honore sanctae Mariae Magdalenae ab antiquioribus constructum, sed modo suffragante operosa fidelium devotione a quodam suae dioceseos clerico Ermenfrido nomine renovatum, primitivo quoque³ renovationis eiusdem⁴ tempore patris sui Heizelini comitis, suis etiam postmodum opibus non modica ex parte clementatum, nostra corroboracione confirmare velimus, ut ab antecessoribus nostris domno Heinrico⁵, genitore quoque meo Conrado⁶ imperatoribus comperimus esse iam factum. Certum est enim, priusquam episcopalis gradum sortiretur honoris, locum illum precipue pro salute animae suae coluisse et in multis loci indigentiam sustentasse, ut cum illo fratre reedificatore et socius esset in labore et particeps in retributione. Unde et in die suae ordinationis, licet cum aliis eiusdem episcopii monasteriis etiam illud sibi iure cessisset, tamen prior reedificator, quia videbat eum, ut semper optavit, pontificali honore sublimatum et, ut tali patrono in omnibus bonis locus augmentaretur, coram archiepiscopo Trevirensi Popone et Mettensi episcopo Teoderico et ceteris sanctae Dei aecclesiae fidelibus super his se abalienavit ipsique in praesens reddidit. Quapropter eidem petenti decet nos adquiescere et bona ipsius aecclesiae regiae dignitatis positione corroborare, videlicet alodium de Beroldi curte⁷ cum familia aliisque appenditiis, quod in primis eius pater comes Heizelinus eidem loco tradidit; alodium etiam de Orna⁸ cum vinea et familia et molendinis, aquis aquarumque decursibus, pratis, campis, cultis et incultis, quae idem Ricardus suique heredes eidem aecclesiae contulere; aliud quoque beneficium, quod similiter ad Ornam dicitur, cum familia et banno aliisque appenditiis ab Heimone siquidem bonae memoriae episcopo, duo molendina subtus monasterium sita et circa eadem alodium, quod erat sancti Mauricii, per concambium adquisitum, et piscariam de novo ponte usque ad vadum sancti Pauli atque teloneum portarum et rasalis modii ipsius civitatis, et unum clibanum in macello, aliasque mansuras Nova villa, duo molendina cum manso uno et familia; aecclesiam Braconis villare, quam noviter ipse Ermenfridus construxit; aecclesiam de Molinis, Valdentiae, Scarponne, mansos III vineatos cum aliis

1) Clouet: 'ad'. 2) Clouet: 'Richardi'. 3) Clouet: 'et primitivo'.
 4) Fehlt bei Cl. 5) Diese Urkunde bis jetzt unbekannt. 6) Stumpf 1893.
 7) Clouet bemerkt: 'peut-être Merancourt'. 8) Vgl. Gesta ep. Virdun. SS. IV, 51 not.